

erit nostra Thea Veronica maritima. Sed certissime quaeris, quomodo fieri potest, vt Veronica maritima pro Thea vendi posset? Quod vt videas integram Theae Roeskildensis historiam narrabo. Vir ille, qui in Horto suo hunc Thesaurum habere putavit, ex iis est, qui vinum adustum diuendunt, et vilioris generis homines hospitantur, quos inter praesertim sunt, qui e Bohemia aduenientes vasa vitrea vendunt. Horum quidam credulo huic viro plantam pro vera Thea dederunt, et vti in nouellis legitur, persuaserunt, eam e China esse allatam . . . ¹⁾ Vnicus ille infelicis nostrae legationis superstes Dn. Niebuhr nondum aduenit. Goettingae iam esse dicitur. Fabricius cum fratre suo relicto Edinburgo iam Londinum petit. Brünnichius Italas perlustratur terras, meque oportet quiescere Hafniae.

Viuas sospes ac felicissimus, fautor optime, honoratissime, amatissime. Salutes rogo illustrem Dominam, nobilissimasque filiolas. Haggbyenses omnes, bonos illos bonasque, salutare, si ita licet, oro. Valeas iterumque valeas!

Hafniae d. XXVI. Septembr. 1767.

(103)* Praenobilissimo, Eruditissimo
Dno Doctori ac Professori C. a Linné
Fautori amicissimo
S. pl. d.
J. Zoëga.

Accepi dissertationes illas parentis TVI venerandi, quas nuper mihi mittere benigne voluisti, et maximas de iis gratias ago. Flagro et flagramus omnes desiderio videndi Regnum vegetabile systematis noui, nec spes nobis est, futurum hoc ante quam hyeme praeterlapsa; hinc ad TE me conuertere audeo, nullus dubitans, quin pro TUA, quam veneror, amicitia precibus meis nunc subiungendis aures praebiturus sis.

¹⁾ Plantediagnoser og om Sendinger af Planter.